





N. A. 345514

BC: 85-734

B. D.



IN VERITATE  
LUCENTAS

UNIVERSIDAD SAN PABLO  
BIBLIOTECA  
EMILE v.d. VEKENE

272(091)"16"(093)

Inquis. - E. V. - 127

ND



# CONSTITVTIO

CONTRA SOLLICITANTES

IN CONFESSIONIBVS

GREGORII PAPÆ XV.

FELICIS RECORDATIONIS.

*Cum explicationibus desumptis ex Manuali qualificatorum Sanctiss. Inquisitionis, Variorum Casuum, in quibus interuenit Sollicitatio; & obligationis Sollicitati ad denunciandos Sollicitantes Reuerendissimis Inquisitoribus Fidei.*



PERVSIÆ;

---

Ex Typographia Episcopali, Apud Angelum Laurentiũ.  
Superiorum Permissu. MDCLXIV.

COMPTON

GENERAL

IN

ORIENT

INDIA

Case

of

the

Government

of

India



Collection

Emile van der Vekene

Luxembourg

Printed and Published by the Government of India, at the Government Press, Calcutta.

# De Confessarijs Solicitantibus ad impudicos Actus.

## Caput Vnicum.



Mnes Confessarij in Sacramentali Confessione allicientes, prouocantes, seu allicere & prouocare tentantes mulieres, ad actus impudicos, & inhonestos, utpotè de fide suspecti, subduntur iudicio Inquisitorum hæreticæ prauitatis, ac eisdem denunciandi, ut puniri possint, vigore constitutionis *Pauli. IV. die. 16. Aprilis. 1561. Pij. IV. die. 6. Aprilis. 1564. Clementis VIII. die. 3. Decembris. 1592. Pauli V. 16. Septembris 1608. & Nouissimè Gregorij. XV. die. 30. Augusti 1622.*

### I. I.

*Explicantur varij casus, in quibus interueniat sollicitatio in Bullis compræhensa.*

**V**arij autem sunt casus, à quibus ex vigore supradictarum Bullarum, & specialiter *Gregorij. XV.* propriè interuenit sollicitatio in Confessione, Inquisitoribus denuncianda, ac ab eis punienda, de quibus consulendi sunt Doctores, qui fusè hæc de re scripserunt, ut *Acunba, de Confessarijs Solicitantibus, & Freitas. eius additionator Sousa opusc. de Confessarijs sollicitantibus, & in Aphorism. In-*

39. ratio est, quia tunc Confessarius laqueum parat, vbi à laqueis poenitentem liberare debebat, propterea *Gregorius XV. in Constitut.* apposuit puniendum esse sollicitantem occasione confessionis, etiam ipsa confessione non secuta.

9 Si vero foeminae dicenti se velle statim confiteri, Confessarius solum confessionem dissuadeat, animo eam postea alliciendi ad impudicos actus, si per talem dissuasionem precisè animus sufficienter mulieri manifestatur, taliter quod ipsa possit intelligere dissuasionem Confessionis oriri ex animo ad inhonesta alliciendi, certum est esse sollicitationem denunciandam; secus vero si animus non manifestetur. *Ioannes Sanchez numer. 49. Castrus Palaus punct. 7. cita. num. 6.*

10 Item si poenitens, & Confessarius ad inuicem se sollicitant, & si poenitens fuerit prima in miscendis sermonibus impudicis, aut Confessarium sollicitauerit, dummodo Confessarius consenserit, & inhonestos sermones habuerit, erit denunciandus, & in poenas incurret. *Souza in Aphoris. loc. cit. n. 11. Freitas de Confessarijs sollicitantibus quæst. 11. n. 35. Diana loc. cit. resolut. 14. Pater Ioseph. de Augustino loc. cit. n. 4. fol. 316.*

11 Etiam si Confessarius consentiat sollicitationi poenitentis sollicitantis erit denunciandus. *Fagundez de præceptis Ecclesie, præcepto secundo, lib. 4. c. 3. num. 56. & 57. Ludouicus à Paramo de origine Sancte inquisitionis: lib. 3. quæst. 10. n. 171. Diana 4. p. tract. 5. resolutione. 4. & 24. Pater Ioseph de Augustino n. 5. loc. cit.*

12 In Decreta quoque deliquit Confessarius, si foemina ad concubitus naturalem prouocet Confessarium, ipse tamen reprouocet ad nefandum, siuè ad Mollitiam. *Ioannes Sanchez dicit disp. 11. n. 27. Castrus Palaus loc. cit. punct. 5. n. 4. Trimarchius disputatione. 9. sect. 4. n. 34.*



13 In poenas Bullę Pontificię incurret etiam, & denunciandus erit Confessarius; è contra, si mulier ad Sodomiticum congressum incitet, & Confessarius renuat; suadet tamen ad naturale. *Castus Palaus punct. 5. n. 4. Trimarchius loc. cit. n. 34.* Ratio est quia Confessarius absolute inductor est ad malum.

14 Quando vero Mulier ad actum naturalem instiget, & Confessarius tamen contentus tantum osculis, & tactibus ad illa sollicitet, poenas Bullę non vitabit; quia tam à copula, quam ab osculis, & tactibus posset, & deberet foeminam auertere. *Ioannes Sanchez dict. disput. 11. n. 28. & Diana loc. cit. resolut. 13.*

15 Sub poenis etiam bullę compræhenditur confessarius, & erit denunciandus etiam si extra occasionē confessionis in confessionario, aut in loco quocunque, vbi confessiones sacramentales audiuntur, simulando confessiones audire, etiam si Confessarius, & pænitenens conuenient in simulatione, vt ibi impudicos, & inhonestos sermones habeant. *Sanchez dict. disp. 11. n. 40. Diana 4. p. tract. 5. resolut. 50. Trimarchius disp. 3. sect. 2. n. 19.*

16 Aduertendum est autem, quod per verbum illud Bullę: in loco quocunque electo ad Confessionem audiendam, intelligitur non solum locus in Ecclesia, sed etiam in Domo, in agro, in monte, dummodo sollicitantes confessionem simulent: patet ex verbis Bullę: Simulantes Confessiones audire, quod eueniet si mulier flexis genibus more eorum, qui peccata sua confiteri volunt coram Confessario, ad audiendum appiicato, constituatur, ità vt actus ille ab assistentibus, & circumstantibus Confessio credatur. *Sousa in additionibus ad bullam Gregorij 15. in tract. de sollicitat. n. 15. fol. mibi 265. Fagundez lib. 6. in 6. præceptum Decalogi cap. 12. num. 19.* Ratio potest esse, quia Confessarius in lasciuia locutione peccat

peccat aduersus Religionem debitam Sacramento Pœnitentiæ : quandoquidem Sacramento Pœnitentiæ debita est illa exterior reuerentia, & cæremonia, vel scilicet pœnitens flexis genibus, detecto capite, & supplex ad pedes Confessarij accedat pro peccatorum venia cōsequenda. Qui ergo hanc cæremoniam inhonestè locutioni arrogat, Sacramentum ipsum iure suo spoliatur, & grauiter lædit. *Ioannes Sanchez disp. 35. n. 5. Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 8. n. 3.*

17 Hinc Confessarius si vocatus à foemina pro eius cōfessione audienda, ab ea sollicitatur ad turpia, quæ etiam minas superaddat, se exclamaturam, vim sibi inferri, nisi consentiat, ob quæ mulieri postulanti consentiat; ligatur constitutione Gregorij 15. ac Inquisitoribus est denunciandus. *Ioannes Sanchez disp. 31. n. 30. versu; at iam ex constitutione Carena tract. de officio Sanctæ Inquisit. p. 2. tit. 6. §. 19. n. 95.* Ratio est, quia inhonesta, & impudica prætextu Confessionis perpetrantur.

18 Præterea Sacerdos iurisdictione carens, si sollicitet, est denunciandus, & pœnas Bullæ non effugiet. *Acunba quest. 11. n. 5. Freitas n. 13. Ioannes Sanchez num. 38. Castrus Palaus loc. cit. u. 1. Diana dict. tract. 5. resolut. 8. Trimarchius disp. 7. sect. 4. n. 4. Pater Ioseph de Augustino loco cit. n. 8. quidquid in oppositum dicat Fagundez, nouissime lib. 6. in 6. præceptum Decalogi cap. 12. n. 24.*

19 In pœnas item Bullæ incurrit Confessarius, & erit denunciandus, qui immediatè post confessionem, sicut qui immediatè ante sollicitat: immediatè verò post sollicitare censetur Confessarius dans pœnitentiam Mulieri, vt nuda à se verberaretur. & cum ad hoc peruenisset, manu propria, aut scutica ab ipso percutitur. *Sousa opus. de Confess. sollicit. tract. primo cap. 18. n. 14. & in Aphorif. Inquisit. lib. 1. c. 34. n. 40. Diana 4. p. tract. 5. resolut. 4.*

20 Etiam poenas sollicitantium non euadet Confessarius, & est reuelandus Inquisitoribus, si mulieri suadeat, & ipsi eo loco verenda ostendat, quæ ipsa in eadem Confessione, morbo affecta habere, dixit. *Sousa de Confess. sollicit. loc. cit. n. 14. & in Aphorif. loc. cit. n. 41. Diana loc. cit.*

**§. II.**

*Qua ratione Confessarius sollicitans sit de Haeresi suspectus, & qualis sit talis suspicio.*

**C**ertum esse debet ex Summorum Pontificum decretis Confessarios sollicitantes ad inhonesta esse de heresi suspectos. Sed in quo consistat hæc heresis suspicio. Doctores vt plurimum supponunt, sed non explicant. *Illustrissimus autem Dominus Trasmiera de Polygamia lib. 3. quest. 2. n. 45.* ait, quod sollicitantes ad turpia sunt de heresi suspecti, quia specialiter fini Sacrosanti Sacramenti poenitentiae opponuntur; quia cum Sacramentum poenitentiae sit institutum ex sua primaria, & formali institutione ad remittendas culpas; aduersus huius Sacramenti finem specialiter operatur, qui eo abutitur, ad committendum enorme delictum impudicitiae, atque suspicionem exhibet, quod male sentiat de Sacramento poenitentiae; eandem rationem affert *Trimarchius disp. 4. sect. 4. nun. 26. ex Peyrino tom. 2. Priuilegiorum constitutione 4. Gregorij XV. §. 3. n. 6.* Et hanc eandem rationem ostendere videtur Summus Pontifex *Gregorius XV.* illis verbis. *Vt Sacerdos ad Sacras Confessiones audiendas deputatus, Sacrosancto poenitentiae Sacramento, sollicitando poenitentes ad turpia, abutuntur, & pro Medicina*

*venenum*, pro pane aspidem porrigat &c. quia loco ad remittendi peccata, ad peccandum inducit.

2 Aliam etiam affert rationem *Dominus Trasmiera loc. cit. n. 31.* quod sollicitans occasionem hereticis præbet ad blasphemanda Ecclesiastica Sacramenta, & specialiter poenitentiae Sacramentum, quod nimirum sit apta inuentio pro Impudicis Sacerdotibus ad suas explendas libidines, maxime quia heretici nostri temporis Confessionem auricularem, ut vocant, ex demonis officina esse depromptam, falso asserunt. *Calvinus lib. 3. Instit. c. 4. §. 29.* & cum Caluino, & Calvinistis: conuenit *Lutherus contra Latomum*; ait enim *nego in totum Confessionem esse exigendam*; sic etiam *Philippus Melachton in exam. ord. n. Zuuinglius contra Confessionem Lutheri*, & omnes tam Zuuingliani, quam Lutheristæ cum Calvinistis conueniunt, & Confessionem Sacramentalem veluti rem pestilentem, & Ecclesiae multis nominibus noxiam damnant. Vide *Boerium lib. 2. examine Secundo; cart. 24. errore 8.* Vnde sollicitator præbet occasionem, ut inter alia, hac etiã ratione heretici Confessionem ut noxiam damnent.

3 Qualis autem suspicio de heresi oriatur ex sollicitatione, de leui, vel vehementi? Non conueniunt inter se Doctores, Nam quod sit de vehemēti suspectus de heresi Confessarius sollicitans, tradit *Genuensis in praxi Curiae Archiepiscopalis Neapolitanæ c. 66. n. 2. Pegna in Directorio. p. 2. Comen. 81. Modius de Sacris Ordinibus c. 27. n. 6. Aloysius Bariola post flores Inquisitorum, tit. de Confessarijs sollicitantibus*, Vbi dicit, quod hodiè ex stilo Urbis, & Orbis, immò etiam ex Apostolico rescripto, Confessarij sollicitantes sunt vehementer de heresi suspecti Et fertur ita declarasse *Clementem V I I I.* ut testatur *Genuensis loc. cit.* Endem Suspicionem de vehementi admittit *Alphonsus de leone in thesauro fori Ecclesiastici, p.*

3. c. 37. n. 35. *Carena de modo procedendi in causis Sancti Officij p. 2. tit. 6. rubr. de Confessar. sollicit. §. 13. n. 53. Trimarcius de Confessario abutente disp. 4. sect. 4. n. 34.*

4. Sed esse huiusmodi sollicitantes de leui solum. suspectos, tenet *Ioseph Sesse tom. 4. decis. 449. n. 3. & decis. 454. n. 6. Paramus de Origine Sancte Inquisitionis lib. 3. quest. 10. n. 115. Sousa de Confessarijs Sollicitantibus tract. 1. c. 5. num. 6. Acunha de Confessarijs sollicitantibusque 2. num. 20. Castrus Palaus, tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 6. n. 1. & fere omnes Doctores Hispani, hac de re tractantes. Hinc est, quod in Hispanica Inquisitione huiusmodi rei non torquentur, vt obseruat *Sousa loc. cit. tract. 2. c. 13. concl. 3. n. 11. & in Aphoris. Inquisit. lib. 1. c. 34. n. 64. & 65. Castrus. Palaus, loc. cit. punct. 11. n. 4. Accunha quest. 13. n. 14. & ideò in nostra Inquisitione Hispanica huiusmodi rei tamquam leuiter de heresi suspecti abiurant tantum de leui vt docent prefati Doctores *Sousa loc. cit. tract. 1. c. 5. n. 6. & Dinaa 4. p. tract. 7. resol. 7. quamobrem vnusquisque sequitur praxim suae Inquisitionis.***

5 Sed dubitari potest, An qui sollicitat in loco ad Confessionem electo, vel pretextu, & occasione Confessionis simulando Confessionem, reddatur de fide suspectus, abbiurareque debeat de leui suspicionem, sicut sollicitantes, de quibus antiquae Constitutiones loquebantur? an vero absque abiuratione, extraordinaria poena puniendi sint, quandoquidem *Gregorius XV. in sua Constitutione* hoc non declarat? Inqua re negatiue respondet *Sousa in Aphoris. Inquisit. loc. cit. n. 68. & Carena p. 2. tit. 6. §. 13. n. 54.* qui asserunt, quod abiurant Confessarij sollicitantes in Sacramentali Confessione, aut in actu proximo antecedente, vel consequente, aut quando pretextu Confessionis aut occasione illius sollicitant: Non tamen abiurant quando sollicitatio fit solum in Confessionario,

aut in loco, vbi Confessiones audiuntur; quia abutendo tantummodo Confessionario, inquit Carena, nullam oriri heresis suspicionem, ac proinde hoc modo sollicitantes nullo pacto abiurare debent.

6 Affirmatiua tamen sententia est *Diana 4. p. tract. 5. resolut. 5. versu*, quo ad alios vero casus, vbi ait, quod sollicitantes in Confessionario, solum Confessionem simulantes sunt de heresi suspecti, & abiurare debent, vt alij sollicitantes abiurabant, aitque sic in Romana, & vniuersali Inquisitione obseruari. Et nouissime hanc etiam sententiam amplectitur. *Fagundez lib. 6. in 6. preceptum Decalogi, c. 12. num. 25.* & affert item *Sousam de Confessarijs sollicitantibus in Adnotationibus ad hanc Constitutionem Gregorij. XV. num. 15.* & ita etiam sentiendum existimo ex praxi nostræ Hispanicæ Inquisitionis.

Probatur hæc nostra sententia, quia licet Summus Pontifex in hac noua Constitutione, seu in verbis nouiter in illa additis, non dicat sic sollicitantes esse de heresi suspectos; id tamen supponit ex Constitutione Pauli. IV. ibi inserta, & à se approbata, & confirmata; in ea autem antiqua Constitutione sollicitantes cum Iniuria Sacramenti declarantur suspecti. Cum igitur eadem ratio inueniatur in huiusmodi sollicitantibus, atque in illis, idem de omnibus est sentiendum.

7 Sed ad hanc rationem contra *Dianam* respōdet *Carena in secunda edictione nouissima loc. cit.* quod Pontifex solum committit hoc crimen sollicitationis abutendo Confessionario, Inquisitoribus puniendum, non tamen per hoc declarat tales abutentes loco ad Confessiones electo, vel Confessiones simulantes, esse de heresi suspectos; ad eum planè modum, quo in Regno Lusitanæ ex constitutione *Pij IV.* & *Gregorij XIII.* Inquisitores  
habent

habent cognitionem criminis Sodomitici, vt refert *Soufa in Aphorif. Inquisit. lib. 1. c. 59. n. 10.* quod etiam feruatur in Regno Aragoniæ, Valentiaë, & Barginonæ ex Bulla Clementis VII. vt testat *Castrus Palaus, tract. 4. disp. 8. punct. 12. n. 11.* & tamen in tali casu crimen nefandum committentes nullo modo abiurant, nec quidem de leui, vt refert *Emanuel Moura de Incantationibus sect. 3. cap. 1. n. 16.*, & *Castrus Palaus loc. cit.* ergo eodem modo obseruandum est cum huiusmodi sollicitantibus.

8 At pace *Doctissimi Viri Domini Carenaë*, respondeo pro *Padre Diana*, quod maxima est disparitas, quia & si Inquisitores in Regnis Hispaniæ contra Sodomitas procedunt, attamen illud crimen non mutat naturam delicti sæcularis; licet mutet forum, vnde Domini Inquisitores puniunt tales reos, iuxta leges seculares, & municipalia statuta, ex concessione *Pij IV.* vt refert *Soufa loc. cit. n. 28.* & si *Gregorius XIII.* concessit, quod procedant Domini Inquisitores contra Nefandos, sicuti in causis fidei, illæ particulæ *sicut in causis fidei*, intelliguntur solum quo admodum procedendi, & extat declaratio *Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII.* ad *Illustrissimum Inquisitorem Generalem Lusitaniæ* año 1622. die 5. Martij in epistola *Eminentissimi Cardinalis Mellini*, vt refert *Soufa loc. cit. num. 11.* Vnde in causis Sodomitarum solent illis tradi nomina testium, sicuti in causis secularibus vt de hoc more testatus est *Illustrissimus Dominus Dominus Didacus Garcia de Trasmiera*, vir generosis natalibus conspicuus eximia eruditione, atque mira pietate insignis, nunc Regni Siciliae Inquisitor, & olim Valentiaë. Et tamen in Sacro tribunali Inquisitionis non dantur nomina testium, vt determinauit Sacra congregatio *Eminentissimorum Cardinaliū* die 14. Maij 1566. Igitur nõ est par ratio de sollicitatione facta pretextu confessionis,

vel

vel abutendo solum confessionario ; quia hoc crimen committitur Inquisitoribus , & quò ad substantiam delicti , & quo ad modum procedendi , sicut omnia alia crimina sollicitationis per antiquas bullas ; ergo tales sollicitantes vti de heresi leuiter suspecti debent abiurare, sicuti sollicitantes abiurabant .

### §. III.

*An Confessarius sollicitans ad alia crimina extra venerem sit de heresi suspectus & an incurrat in pœnas Bullæ Gregorij XV.*

**1** **C**irca primum , est sententia Negans Sollicitantes ad alia crimina extra venerem esse de heresi suspectos , ita vt contra eos procedere possint Domini Inquisitores , ex vi suę ordinarię Jurisdictionis . Ita *Ioseph alderete in tract. de Religiosa disciplina tuenda , lib. 2. c. 15. n. 22. Portel. in Additionibus ad dubia regularia , verbo , Sollicitare , n. 8. Bonacina loc. cit n. 13.*

**2** Secunda sententia affirmat , que michi probabilior videtur . ita *Pegna in Directorio inquisitorum. 2. p. comen. 8. versu ille quoque, Accunha quest. 8. n. 9. Freytas. in Ad dict. quest. 8. n. 17. Ioannes Sanchez. in selectis disputationibus , disp. 11. n. 23. Emanuel Moura opus. de Incant. sect. 3. c. 3. n. 17. Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 6. n. 2. Dominus Trasmiera de Polygamia lib. 3. qu. 2. n. 53. Trimarchius de Confessario abutente disp. 4. sect. 3. n. 6.* Ratio est , quia sicut sollicitantes ad inhonesta sunt de heresi suspecti , quia præbent fundamentum , vt de illis suspicio formetur , non bene sentire de Sacramentis eo quod abutantur Sanctissimo poenitentię Sacramento :  
quando quidem



quando quidem oppununtur primario fini Confessionis qui est peccatorum remissio : sed hæc ratio equè militat in sollicitantibus ad alia crimina : vt si Confessarius ad furtum, vel homicidium, vel aliud quoduis maleficium inducat : Immo maior malitia videtur adesse in inductione ad hæc peccata, quam in Inductione ad Luxuriam cum inductio ad venerem magis ex passione procedat quam ex malitia, vt animaduertit *Castus Palaus loc. cit. n. 1.* Ac proinde in his casibus Confessarius occasionem accipiens forsitan ex peccatis confessis, loco medicinæ porrigit Venenum, cum abusu Sacramenti, ac proinde videtur eadem hæresis suspicio procedere, sicuti in sollicitatione ad actus impudicos.

3 Circa Secundum, An sollicitantes scilicet ad alia crimina incurrant in poenas Bullæ Gregorij XV? Dicendum est sollicitantem ad alia delicta extra Venerem, non incurrere poenas contentas in Bullis editis contra sollicitantes ad turpia. Ita *Acunha quest. 8. n. 6. & sequentibus*, & ibidem *Freytas. n. 16. Sanctarellus de hæresi cap. 46. dub. unico. n. 1. Peyrinus tom. 2. Priuilegiorum Constitut. 4. Gregorij. XV. §. 3. n. 7. Bariola in floribus Inquisitorum, questio quando committitur. Bonacina, tract. vari. disp. 6. punct. 3. n. 13. Ioannes. Sanchez dicta disp. 11. n. 23. Sousa in opusc. de sollicitatione, tract. 1. c. 13. n. 4. & in Aphorismis, lib. 1 c. 34. n. 20. Diana, 1. p. tract. 4. resolut. 20. & p. 4. tract. 5. resolut. 17. Trimarchius disp. 14. sect. 7. n. 9. Dominus Trasmiera loc. cit. n. 34. Carena tit. 6. n. 9. 19. Et ratio est quia Pontifices loquuntur de sollicitantibus ad in honesta; nomine autem inhonestorum per Antonomasiam, & ex comuni loquendi vsu, intelliguntur peccata carnalia. Quare autem Pontifices in suis Constitutionibus voluerint solum comprehendere sollicitantes ad venerem, inde est : quia inter crimina de*

fide

fide suspecta, sollicitatio ad turpia est maximi momenti & valde periculosa, quippeque, vt plurimum accidere poterat, nisi poenis obuiaretur.

4 Sed tamen sub poenis contentis contra sollicitantes ad inhonesta, comprahendetur, si aliquis sollicitans ad alia crimina, motium Venereum haberet, vt, E. G. si Confessarius sollicitaret ad Beneficium amatorium; quia tendit ad finem impudicum, & inhonestum.

5 Item si sollicitat ad homicidium mariti, vt liberius, defuncto viro, cum muliere vxore tractare possit, ex motiuo impudico. Secus si ex alia intentione, E. G. odio & nullum signum ostendit, quod libidine moueatur ad sollicitandum ad huiusmodi homicidium. Ita *Trimarchius loc. cit. sect. 3. n. 12.*

6 Dubitari autem hic potest, an sollicitans ad actus inhonestos in alijs Sacramentis, incurrat poenas contentas in Bullis contra sollicitantes æditis, E. G. Sacerdos dum assisteret celebrationi contractus matrimonij, vel dum Eucaristiam, baptismum, vel aliud Sacramentum administraret? Et respondetur negatiue. ita communiter Doctores. *Acunha quest. 16. n. 6. Sanctarellus de heresi disp. 46. dub. unico tom. 5. Bonacina tract. var. loc. cit. n. 14. Laurentius de Pcyrinis in priuilegijs, tom. 2. Constit. 4. Gregorij XV. §. 5. n. 17. Sousa in Aphoris Inquisit lib. 1. c. 34. n. 20. Lezana in summa tom. 1. cap. 19. n. 34. Ioannes Sanchez dicta disp. 11. n. 42. Freytas loc. cit. n. 10. Castrus Palaus tract. 4. disp. 5. punct. 1. n. 4. Carena tit. 6. §. 5. n. 26. Trimarchius disp. 3. sect. 7. n. 65. Dominus Trasmiera de Poiygamia lib. 3. quest. 2. n. 58,*

Et ratio est, quia Pontifices loquuntur de sollicitantibus in Confessione, vel occasione aut prætextu Confessionis, seu in loco, in quò poenitentiu Confessiones excipiuntur, vel excipi simulantur. Ratio autem cur hoc statutum sit

ratione

ratione confessionis, non autē reliquorum Sacramento-  
rum, hec esse potest; quia maius sollicitationis periculum  
imminet in Confessione, quam in reliquis Sacramen-  
tis; Cum enim poenitentes peccata, aut prauos animi,  
vt corporis sui motus, & affectus secreto fateantur, tunc  
impudicus, & intemperans Confessarius facile inde  
posset occasionem arripere prouocandi ad libidinem  
poenitentem, nisi metu denunciationis, aut grauis poenę  
coerceatur. Ita *Bonacina ex Acunha & Sanctarello citatis*.  
Quæ ratio est quasi à posteriori.

7 Aliam autem rationem, veluti à priori, vt ita dicam,  
affert Dominus *Trasmiera loc. cit.* quia ita sollicitans in  
alijs Sacramentis non videtur primarium finem illorum  
Sacramentorum peruertere, cum non sint instituta ad  
remissionem peccati, sicut Sacramentum poenitentię;  
excipit tamen ipse *Dominus Trasmiera* Sacramentum  
baptismi, quod est institutum ad delenda, cum origi-  
nali, etiam peccata actualia ante baptismum commissa  
in adulto, & Sacramentum extremæ Vnctionis, quod  
institutum est, saltem secundario, ad delenda peccata  
quæ tunc per alia Sacramenta deleri non possunt, vt ait  
*Coninch. de Sacramentis disp. 12. dub. 5. n. 19* sed in istis  
Sacramentis procedit ratio primo loco adducta: quando-  
quidem in ijs non videtur imminere taliter periculum  
sollicitationis; quis enim erit ita impudicus, & insanus  
vt sollicitare audeat Agonizantem ministrando extre-  
mam vnctionem? Sic etiam non militat illud periculum  
cum Sacerdos mulieri adultę Sacramentum baptismi ad-  
ministrat; cum hoc non fiat secreto, sicut Sacramentum  
poenitentię, sed publice coram compatribus, & alijs assi-  
stentibus.

8 Adde, quod sollicitans in Sacramento baptismi, non  
ita principaliter opponeretur fini huius Sacramenti;

C

quia

quia tunc si sollicitata assentiretur, posset esse Sacramentum validum quidem, sed informe, non sic in sollicitatione in Sacramento poenitentiae, quia in tali casu Sacramentum nec formatum esse posset, nec validum, si mulier sollicitanti assensum præberet.

## S. I V.

*An qui Poenitentem ad venerea sollicitauerit  
ante bullarum promulgationem poenis  
contra Sollicitantes Subiaceat?*

**N**egatiue respondet Fagundez de præceptis Ecclesie in edictione Nouissima præcepto secundo lib. 4. c. 3. n. 74. Sousa de Confessarijs sollicitantibus tract. 1. c. 20. n. 6. Diana par. prima tract. 3. resolutione. 15. & par. 4. tract. 5. resolut. 40. Antonius Nouarius in Summa Bullar. tit. de sollicitantibus in Confessione n. 16. Portel in Additionibus ad dubia regularia verbo sollicit n. 7.

2 Sed probabilior videtur affirmatiua sententia, quam sequitur Acunha. quest. 3. num. 10. & 35. Freytas in edict. nouissima de Confes. sollicit. quest. 3. n. 15. Hieronymus. Roderic. in compendio questionum regularium resolut. 131. n. 1. Bonacina loc. cit. n. 7. Homobonus. par. prima examinis, tract. 13. c. 3. quest. 13. assert. 4. Sanctarellus de heresi c. 44. n. 11. Dominus Trasmiera de de Polygamia lib. 3. q. 2. n. 36. Trimarchius disp. 14. sect. 5. n. 31.

Et ratio est quia præfati Pontifices, in allatis bullis, mandant Inquisitoribus, vt in præmissis contra quomolibet diffamatos diligenter inquirent, ergo potestatem conferunt inquirendi de crimine sollicitationis, siue pa-

tratum

tratum fuerit post Gregorij constitutionem, siue ante illius edictionem: quamquam Confessarius, in hoc casu non est puniendus iuxta Gregorij XV. constitutionem, cum hæc nondum edita esset, dum ipse deliquit.

3 Probatur preterea, quia licet Constitutiones, & statuta ad præterita non extendantur. *c. 1. de postulationi-Prælat. in 6. cap. cognoscentes, & cap. finali de Constitut; & L. leges C. delegibus.* Et multo minus extendantur ad præterita, que iam definita, & decisa fuerunt, per sententiam, aut solutionem, vel transactionem *c. de his, de accusationibus, & ibidem Berous n. 20. Couarruias secundo Var. c. 1. Clarus, & alij apud Sanctarellum. & Acunbam loc. cit.*

Nichilominus Constitutiones, etiam ad præteritos actus extenduntur, dum constat legislatorem voluisse, suas constitutiones ad præteritos actus extendere, *cap. finali de Constitutionibus, & L. leges. C. de legibus.* In nostro autem casu constat Gregorium XV. voluisse suam Constitutionem ad præteritos actus extendere; mandat enim Confessarijs, vt admoneant poenitentes de obligatione denunciandi Confessarium sollicitantem, & hæc obligatio ipsum statim post promulgationem afficit, ergò etiam implicite obligat poenitentem ad denūciandum Confessarium, à quo poenitens sollicitatus iã fuit; alioquin Confessarius non teneretur statim post edicti promulgationem admonere poenitentem de huiusmodi obligatione. ita *Rodoricus Acumba apud Bonacinã tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 7.*

4 Præterea lex declaratoria Iuris antiqui ad actus præteritos extenditur, vt colligitur *ex cap. ult. de Sponsa duorum, & cap. cum tu de usuris, & tradunt Doctores in cap. ultim. de Constitut. Suarez lib. 3. de legibus c. 14. n. 8. Laiman lib. 1. tract. 4. c. 14. n. 12. Castus Palaus tom. 1.*

*tract. 3. disp. 5. punct. 3. §. 5. num. 6.* Et ratio est, quia lex declaratoria non constituit Ius, sed declarat Ius iam constitutum, vt habetur in *lege heredes palam. §. sed & si notam, ff. de Testam. l. 2.* & tradit *Felinus in c. licet causa, col. 12. de probat. & Doctores Communiter in L. 1. ff. si certa petas.* Sed *Bulla Gregor. XV.* est lex declaratoria; declarat enim Ius iam antiquum, illud innouando, & confirmando ad tollenda dubia apud aliquos; ergo ad præterita trahitur.

5 Quod autem *Bulla Gregorij XV.* sit quædam lex declaratoria patet ex *Bulla Pij IV.* quam in sua Constitutione inseruit de verbo ad verbum. Et in eo, quod innouat, & confirmat, declarat, quod antea *Paulus V.* declarauerat in quodam Decreto, quod refert *Coriolanus de casibus reseruatis p. 1. sect. 2. art. 22. n. 4.* apud *Ioannem Sanchez disp. 11. n. 77.* refert etiam *Belochius in tract. de casibus reseruatis p. 2. quest. 7. n. 32.* & *Carena par. 2. tit. 7. §. 5. n. 32.* in hæc verba.

*Feria 5. die 10. Iulij 1614. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram S. D. N. Paulo Diuina prouidentia Papa V. ac Illustriss. DD. D. Petro tit. S. Mariæ in Transtiberim Aldobrandino, Roberto tit. S. Mariæ in Via Bellarminio, Ferdinando Taberna tit. S. Eustachij, & Ioannes Garzia tit. SS. Quatuor Coronatorum Milino, uuncupatis, Presbyteris Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalibus aduersus hereticam prauitatem, in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis: facta relatione, quod multi Confessarij tractant cum Mulieribus in Confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis, Sanctissimus decreuit, vt contra huiusmodi Confessarios procederetur in Sancto Officio. Ex quo sequitur etiam ante Decretum*  
*Gregorij*

*Gregorij XV.* Confessarios sollicitantes esse denunciandos, & subdi foro Inquisitorum, etiam si sollicitent extra confessionem, tantummodo in Confessionario confessionem simulando; ergo Bulla Gregorii fuit declaratoria Iuris Antiqui, ac proinde ad præterita extenditur.

6 Denique animadvertendum est, quod Confessarius, qui non declarat Foeminæ sollicitate obligationem denunciandi, aut qui eidem dicit, ad talem denunciationem faciendam non teneri, ab Inquisitoribus pro qualitate culpæ potest puniri, ut habetur in Bulla Gregorij XV. & notat *Sousa in Opusc. de Solicitantib. in Addit. n. 27.* & in *Aphor. loco cit. n. 73.* & *Freytas in Addit. nouiss. ad tract. de Confess. Solicitantib. q. 21. n. 77.*

## S. V.

*An Confessarius sollicitans ad turpia sit denunciandus Inquisitoribus Fidei absque prævia correctione fraterna.*

**P**RO solutione huius prius resoluenda est alia controversia, quæ est; an in casu hæresis præmittenda sit correctio fraterna ante denunciationem. Circa quod non desunt Doctores, qui negant faciendam esse denunciationem iudiciale, si delictum hæresis occultum est, & speratur, correctione secreta emendandum; sic tenent *Grondisalus tit. de hæreticis, qua. 20. n. 6. Repertorium Inquisitorum, verbo denunciatur, versic. an quando proceditur. Decian. in tract. criminal. lib. 5. cap. 30. n. 3. ut refert Castrus Palaus tom. 1. operis moralis, tract. 4. disp. 3. pun. 4. n. 4.*

2 Dicen-

2 Dicendum tamen est primo, hæreticum etiam occultum denunciandum esse Inquisitoribus fidei, absque fraterna correctione, hæc sententia communior est, & reipublicæ melior, sic *Alfonsus de Castro de iustâ hæreticorum punitione, lib. 2. cap. 25. Simanchas de catholicis institutionibus tit. 19. rubr. de denunc. n. 10. & sequent. & in Enchiridion, tit. 23. rubr. de denunciât. n. 5. & sequentib. Sigismundus Scaccia de inditijs cap. 16. n. 3. Royas, tract. de hæreticis, 2. p. assertione 3. num. 28. & in singularibus fidei singul. 3. n. 21. Pegna in directorio Inquisit. 2. p. coment. 2. ad cap. Qui alios de hæreticis, versic. quod si queratur, & coment. 18. ad cap. Qualiter, & quando de accusationibus circa finem. Ioannes Azorius instit. morali tom. 1. lib. 8. cap. 19. q. 9. Lorca 2. 2. disp. 47. n. 23. Bannes in D. Th. 2. 2. q. 11. art. 4. vers. sed circa solutionem. Farinaccius de hæresi quest. 197. n. 39. Suarez de fide disp. 20. sect. 4. n. 11. Aloysius Turrianus de fide disp. 89. dub. 2. vers. tertio hos est intelligendum, & in selectis disp. p. 1. disp. 30. centur. 2. dub. 24. Coninch. de fide disp. 28. dub. 8. n. 150. Aloysius Bariola in Floribus Directorij Inquisit. p. 2. comentar. 18. Facundez in præcepta Ecclesiæ, præcepto 2. lib. 6. cap. 4. n. 11. & in præcepta Decalogi lib. 1. in primum præceptum cap. 26. n. 7. Peyrinus, tom. 1. de subdito, quest. 1. c. 16. §. 2.*

3 Est etiam conclusio de mente D. Th. 2. 2. q. 33. art. 7. quamvis aliquibus videatur eum admittere fraternam correctionem in hæresi formali. Sed si bene expendantur eius verba, nostrâ conclusionē ipse confirmat quandoquidem sic ait. Si hæreticus priuatim homines à fide auertat, & quia ille, qui sic occultè peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios; oportet statim procedere ad denunciationem, vt huiusmodi impedimentum impediatur, nisi fortè aliquis firmiter estimaret, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala



mala impedire; hæc S. Doctor. Vnde Caetanus ibidem expendens verba illa S. Thomæ nisi forte &c. aduertit, quod raritatem casus admonitionis secretæ denotauit textus per illa verba, nisi forte potius quàm consiliū talis admonitionis in casu illo; ac si dixerit, nisi quod tamen rarissimum est, & ferè nunquam eueniet. Insuper idem Caetanus ex allatis verbis S. Thomæ tres condiciones requirit in tali casu, vt præmittenda sit correctio ex mente S. Doctoris: & prima conditio notatur per illa verba aliquis firmiter. Secunda quod statim, tertia posset impedire; hoc est in tanto casu, non sufficit, quod aliquis probabiliter æstimet, neque satis est, quod firmiter æstimat, quod aliquando; neque sufficit, quod firmiter censeat, quod statim posset de possibili impedire; sed necessario requiritur coniunctim hoc totum, scilicet, quod ille aliquis firmiter æstimet, quod statim poterit, & de facto actualiter impedire. Ita Caetanus Vide etiam *Alphonsum de Castro lib. 2. cit. de iusta hæreticorum punitione cap. 25.* qui ait, quia rarissimè cōtingere potest, vt priuatus homo possit huiusmodi malis mēderi, ideò non assertiuè, sed sub conditione dixit. *S. Thom. nisi forte.*

4 Sed quoniam regulariter hæretici subdoli sunt, & sub ouina pelle lupum gerunt, ac sæpe fingunt se emendatos, vt facilius suos errores clangulū seminent, & difundant, ergo præsumi non potest per secretam correctionem eorum emendatio, & quod huiusmodi mala impediri possint, præterea ommissa correctione, immediate sunt iudicibus fidei denunciandi.

5 Probatum verò ratione conclusio: quia præceptū correctionis fraternæ est affirmatiuum, quod non obligat in omni euentu, sed solum quando est spes fructus; sed quando non speratur fructus, sed potius detrimen-  
tum

tum contra bonum commune, vt in crimine hæresis, nulla erit obligatio euāgelicæ correctionis. Adde quod hoc præceptum militat, spectatis rebus secundum se, secus verò si ob commune bonum, lex aliqua lata esset, quæ casus communiter contingentes respiceret: tunc enim bonum commune particulari est præferendum; & potius spectandum est vitare periculum boni communis communiter contingens, quam in vno, vel alio casu vitare damnum alicuius delinquentis. Ita Ferdinandus de Castro Palao, tract. 4. disput. 3. punct. 4. n. 5.

6 Secundo probatur ratione etiam S. Thomæ loc. cit. quod ordo correctionis Euangelicæ: *si peccauerit in te frater tuus corripe eum. Matth. 18.* locum solum habet, quando peccatum est commissum contra te; si vero non solum in te peccat, sed etiam in alios; oportet statim procedere ad denunciationem, pretermissa faterna correctione. Vnde idem Sanctus Tho. in cap. 18. Matthei in verba illa, *si peccauerit in te*, Ex Glosa, sic ait: *Si iniuriam, vel contumeliam intulerit tibi. Vnde vult dicere, quod peccatum factum contra nos remittamus; sed peccatum, quod fit contra Deum nos remittere non possumus*, hæc S. Tho. At crimen hæresis quadam speciali ratione est immediatè contra Deum commissum, vt ait Simanchas tit. 19. n. 13. Ergo non pertinet ad ordinem Euangelicæ correctionis.

7 Probant tertio multi Doctores non contemnendi, quia hæretici non sunt fratres Euangelici, licet sint fratres natura, idest proximi, & per consequens ordo Euangelij cum eis non est seruandus, vt adnotauit Archidiaconus in cap. *Si si peccauerit* 2. qu. 1. Panormitanus in cap. *Novit. de Iudicibus*, & alij. Quod autem heretici non sint Fratres Euangelici, nititur probare Alphonsus de Castro loc. cit. ex Patribus Theophilato, Tertulliano, & D. Augustino. Verum tamen hoc non placet Suario de fide disp.

*disp. 20. sect. 4. n. 11.* Tum quia, l. ex illa correctionis est naturalis, & est lex charitatis; & ideo ad omnes proximos nature extenditur, sicut & charitas. Tum quia hereticus ratione baptismi inter fratres numerari potest.

8 Vera igitur explicatio illius Evangelici præcepti magis cōmunior est. Christum Dominum ibi loquutum fuisse de correctione Evangelica, quæ ordinatur ad solam emendationem solius fratris, quæ semper prærequirit fraternam monitionem, & ideo ibi semper ille ordo est seruandus, extra hæresis crimen; quia per secretam admonitionem potest finis intentus sufficienter obtineri. Hic autem agimus de denunciatione Iudiciali, que non solum pertinet ad finem solius emendationis fratris peccantis, sed spectat ad alium finem, nempe ad bonum commune spirituale immediate; quod semper præferendum est bono priuato, ac particulari; & ideo hæc denunciatio iudicialis non compræhenditur sub illo præcepto, de quo ibi Christus loquitur, vt de se patet, sic *Fagund. lib. 1. in 1. præc. Decal. c. 26. n. 13. Diana, p. 1. tract. 4. resol. 2.*

9 Neque obstat illud *D. Pauli ad Titum. 3. Hereticum hominem post. vnam, & secundam correctionem deuita;* vbi supponit Apostolus, hereticum prius esse fraternè corrigendum, quam deferatur ad Iudices, aut deuitetur nam *D. Paulus* ibi non ad quoscumque sententiam illam dixit; sed ad Episcopum *Titum*, ad quem ex officio pertineat hereticum iudicare, & per sententiam excommunicationis euitare ab alijs, vt optimè explicat *D. Tho. ad eundē locū Pauli* inrerpetrantur, velut alij respondent Paulum loquutum fuisse ibi, cum Tito Episcopo, & quia Ecclesia eo tempore vires non habebat ad cremandos, & puniendos hæreticos in Iudicio conuinctos; solum restabat eos deuitare, & excludere à communicatione fidelium; cogendo scilicet fideles, vt eos deuitarent sup-

D

ponit

ponit ergo D. Paulus iam fuisse denunciatum illum hereticum, atque in Iudicio conuictum; quare non est similis casus, vt de se patet.

10 Dicendum secundo, præscidendo ab Edicto Dominorum Inquisitorum, audientem secreto quempiam proferentem hæreticam propositionem ex ignorantia, & simplicitate, nec sibi constat, cum, qui huiusmodi propositionem protulit, esse hæreticum, debere secreto per fraternam correctionem admonere, priusquam illum ad Inquisitores fidei denunciaret. Ita *Pegna secunda par. Directorij Inquisit. comment, 18. ad cap. qualiter, & quando de Accus. in fine: Alphonsus à Castro loc. cit. concl. 2. Grassius 1. par. Decis. lib. 2. c. 69. n. 18. &c: & ali.*

11 Et ratio potest esse, quia ignorantia in crimine hæresis solet excusare, vt alibi diximus: ergo pari ratione potest denunciatio iuridica prætermitti, si per fraternam monitionem emendatio sequatur. Et quamuis hec vera sint, stando in iure nature; nihilominus etiam post Edictum Dominorum Inquisitorum de heretico deferendo, fortassis non præsumitur, quod velint Inquisitores sibi fieri denunciationem, neque ratione eruditionis proximi, cum iam sit sufficienter emendatus per correctionem, vt supponitur, neque ratione punitionis, cum ille, qui per ignorantiam errauit, non sit regulariter puniendus.

12 Hinc *Bonacina loc. cit. de rigore Iuris asserit: non videri denunciandos Concionatores, qui inter concionandum aliqua proferunt ex in curia, vel inconsideratione. Ratio est, quia non est præsumendum, ipsos velle contrauenire Iudicio Ecclesie, aut ea dixisse cum plena denunciatione, & aduertentia, ita vt velint errori adherere; nisi aliter de ipsorum mente conjiciatur.*

13 Dicendum tertio suspectum de heresi, absque præuia  
fra-

fraterna correctione, esse denunciandum Inquisitoribus etiam si per Euangelicam correctionem emendatio credatur; itante quod Inquisitorum edictum publicatur de heretico, siue suspecto de heresi denunciando; licet stando in solo iure nature, probabile sit, posse quempiam à denunciatione cessare, si firmiter credat per secretam monitionem fore huiusmodi de heresi suspectum emendandum; ratio est, quia hic agitur de denunciatione iudiciali, que vt dictum est, non pertinet solum ad emendationem fratris peccantis, sed ad bonum commune spirituale, quod semper bono priuato, & particulari preferendum est.

14 Nec obstat ad præceptum Inquisitorum præceptum à Christo Domino latum, de Correctione fraterna præmittenda; quia Christi præceptum est de peccatis, que non vergunt in damnum commune, & tertij, vt satis constat ex illis verbis; *Si peccauerit in te*. Vnde Lamie, & Strige semper sunt denunciandæ, nulla præcedente monitione, etiam quod eorum crimen, cum heresi non sit coniunctum. Sic *Martinus Delrio loc. sup. cit.* probat *Deirius*, quia Lamie semper sunt valde pertinaces, & vix fieri potest vt ex ignorantia peccent, & mora semper est alijs damnosa. Eadem fere ratio militat de alijs Maleficijs, & Sortilegijs. Sic etiam de Blasphemia, si sit coniuncta cum heresi, absque fraterna correctione, denunciandam esse docent *Turrianus 2. 2. de fide disp. 38. dub. 3.* & *Fagundez in præcepta Eccles. precepto 2. lib. 6. c. 4. num. 12.* His resolutis nostra præposita controuersia est resoluenda.

15 Dicendum est quarto, Confessarium sollicitantem ad inhonesta in Sacramento poenitentię, vel immediatè ante, vel post, vel intuitu Confessionis, prætermissa fraterna correctione, esse denunciandum. Ita docent

*Ioannes Sanchez in selectis disputationibus, disp. 11. n. 56.*  
 ubi laudat *Areualum de correctione fraterna folio 188.* pro-  
 bat non esse premittendam correctionem fraternam in  
 Confessarijs sollicitantibus, licet probabiliter posset quis  
 arbitrari eum ex dicta correctione emendatum, *Diana*  
*p. 1. tract. 4. resolut. 2. & p. 4. tract. 5. resolutione. 24.*

15 Est vero nostra conclusio contra *Fagundez in præ-*  
*cepta Ecclesie, precepto 2. lib. 4. cap. 3. n. 31.* & alios quos  
 refert *Diana locis citatis.*

Sed reuera, si horum opinio expendatur, non absolute  
 multi ex his illud docent, sed sub conditione, quod cer-  
 to speretur emendatio futura per fraternam monitionem  
 & mouentur isti authores ex ratione, & verbis Sancti  
 Thomæ supra allatis, qui loquens de hæretico ait: *Niſi*  
*forte aliquis firmiter æstimaret, quod statim per secretam*  
*monitionem posset huiusmodi mala impedire;* quæ sententia  
 intelligenda est, cum conditionibus superius explicatis  
 in prima conclusione: quod scilicet firmiter, statim &  
 de facto, æstimetur correctio futura. Sed ipsimet autho-  
 res contrariæ sententiæ existimant in Confessario sollici-  
 tante raro per secretam correctionem sperari posse emen-  
 dationem, ac proinde raro cessare obligationem illum  
 Inquisitoribus denunciandi. Ergo ruit omne fundam, en-  
 tum, in quo eorum opinio fundatur.

17 Probatur vero nostra conclusio ratione desumpta  
 ex eodem *Sancto Thom. 2. 2. quest. 33. art. 7. ad 3.*; quia  
 quando ex peccatis occultis imminet periculum multi-  
 tudinis corporale, vel spirituale, non habent ibi locum  
 verba Domini *Si peccauerit in te frater tuus:* quia frater  
 tunc peccans, non peccat in te tantum, sed in crimine  
 sollicitationis est periculum spirituale multitudinis, ergo  
 cessat obligatio fraternæ correctionis, etiam ex naturæ  
 iure.

Minor autem probatur, quod scilicet in crimine sollicitationis sit periculum spirituale plurimum animarum, ex eo; quia si Confessarius sollicitans prius esset corrigendus, quam denunciandus, lata nimis via aperiretur sollicitationi erga plures mulieres; cum posset vafer confessarius impune sollicitare, fretus, aut quod lasciuiam explebit, si forte mulier sollicitationi assentiatur; aut quod corrigetur, si dissentiat sollicitata, quare cum in potestate sollicitantis sit, se emendatum esse ostendere; in eius item voluntate erit denunciationem vitare, & plures animas libidinis veneno inficere posset.

18 Adde quod idem *S. Thom. 2. 2. dict. quest. 33. art. 2. ad 3.* asserit aliquando esse actum charitatis fraternam correctionem omittere, quando scilicet damnum tertio imminet, & asserit *Sanctum Augustinum lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 9.* dicens; *Nam si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis male agentibus pareit, quia vel metuit ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediunt Infirmos alios, & premant, atque auertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis,* hæc Augustinus; ergo erit consilium charitatis omittere fraternam correctionem in sollicitantibus, ne mulieres infirmas premant, & a bona vita impediunt; atque auertant.

19 Probatur secundo, quia etiam si stando in iure naturali, excusari posset à denunciatione suspectus de hæresi, si firma, & moralis certitudo erit de eius emendatione perfraternam correctionem; adhuc tamen erit obligatio denunciandi, prætermissa ipsa fraterna correctione, ex præcepto *Dominorum Inquisitorum*, statim denunciandi suspectos de hæresi, & sollicitantes in Confessione ad inhonesta; vt patet ex edictis, quæ in singulis fidei actibus publicantur, in quibus id præceptum  
impo-

imponitur, vt docet *Simanchas tit. 19. n. 12.*

20 Quod autem possint Domini Inquisitores per edictum precipere, vt predicti sollicitantes absque vlla fraterna admonitione premissa, statim denunciarentur, probat, & fatetur *Fagundez secundo precepto Ecclesie lib. 4. c. 3. n. 85.* primo, quia tanta esse poterit dissolutio ex parte Confessariorum, & tanta negligentia ex parte personarum, que sollicitantur in denunciando: vt nisi ita precipiant, medicina in venenum, & Confessionis Sacramentum in animarum carnificinam, perhorrendum Sacrilegium conuertatur. Secundo quia possunt Inquisitores, ob experientiam, quam habent, Iudicium desperationis predictorum sollicitantium ad se referuare & nulli alteri committere, quam sibi ipsis; quippe qui tamquam Docti, & in ea re experti securius rem expendent, & conuenientius remedium applicabunt.

21 Et quod Domini Inquisitores preterea possint huiusmodi preceptum per edicta imponere, nulli dubium est, cum in ea re Apostolica authoritate vtantur, vt docet *Suarez de fide disp. 20. sect. 4. n. 11. Areualus de correctione fraterna, folio. 188. concl. 6. proposit. 6. Ioannes Sanchez Disp. cit. n. 56.* Tale autem preceptum non minorem vim habet, quam lex Canonica; quamuis enim preceptum sit, & per modum precepti feratur; tamen quia Tribunal a quo procedit, perpetuum est ideo per modum legis perpetuo durabit, & supposito etiam precepto diuino de heretico denunciando, & naturali de bono communi preferendo bono particulari optime Ecclesia cum penis grauissimis excommunicationis suum preceptum adiungit, vt metu poenarum Ecclesiasticarum melius preceptum naturale seruaretur, vt expressius docet *Suarez loc. cit. n. 21. fine.*

22 Sed obijcies preceptum de fraterna correctione est  
de



de Iure diuino, & naturali; *Si peccauerit in te frater tuus;* vt fame; & bonæ, oppinionis proximi consulatur; ergo per præceptum posituum Inquisitorum omitti non potest faterna monitio,

Respondeo, quod præceptum Christi de fraterna correctione militat in peccatis, quæ non vergunt in damnũ commune, & Tertij, vt Supra satis, probauimus, ex illis verbis: *Si peccauerit*: lex autem, & præceptum Inquisitorum ob bonum commune latum est. Præterea hic agimus non de enunciatione Euangelica, que ordinatur ad solam emendationem solius fratris, sed in casu sollicitationis, & in hæresis suspitione agitur de denunciatione iudiciali, que solum pertinet ad alium finem, nempe ad bonum commune spirituale immediate, quod præferendum semper est bono priuato, ac particulari; & ideo denunciatio iudicialis non comprænditur sub illo præcepto, de quo Christus loquitur in illo loco *Matthæi 18. Ita. Fagundez in præcepta Decalogi præcepto 1. lib. c. 26. n: 13. & alij.*

Confessarij igitur caueant, ne incidant &c. Et bene studeant Constitutioni quæ sequitur.

S. D. N.

GREGORII PAPAE XV.

Constitutio

*Contra Sollicitantes in Confessionibus.*

**V**Niuerſi Domini gregis curam, quamque immeriti, cælesti dispositione gerentes, sedulo inuigilare

re tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs conseruetur immunis, multoque maiori studio prouidere, vt omnis pestis ad ijs auertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Euangelica scripta nos admonent, sale infatuato non sit in quo saliat, & ad nihilum prosit vltra, nisi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quibusdam in locis prouisum fuit, vt impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur; videlicet vt aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, Sacrosancto Poenitentiae Sacramento, sollicitando poenitentes ad turpia abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex caelesti medico infernalis veneficus, ex patre spiritali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco Nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidijs arcendis certis locis salubriter constituta sunt, vt nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, prouidendum duximus. Alias siquidem à fel. rec. Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequenti videlicet Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispaleñ in Regnis Hispaniarum hæreticæ prauitatis Inquisitori Generali. Cum sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus diuersi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Dioccesibus curam animarum habentes, siue eam pro alijs exercentes, aut alias audiendis confessionibus poenitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Poenitentiae in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo, & Saluatori nostro IESV CHRISTO iniuriam facere vereantur

antur, mulieres videlicet, poenitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones alliciendo, & provocando, seu allicere, & prouocare tentando, & procarando, ac loco earum per Sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in Diuinæ Maiestatis offensam, & animarum perniciem Christifidelium scandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeunt, quod qui de Fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, Fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus per præsentem committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diocesum de præmissis quomodolibet difamatos, tam seculares, quam quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subiectorum, Ordinum Regulares cuiusquam dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præminentie existant tam super præmissis, quam super Fide Catholica, & quid de eâ sentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suorum qualitates, prout iuris fuerit, punias, eos etiam si, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione secularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum nec non Ordinum quorumlibet quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam, iuramento, confirmatione Apostolica

tolica vel quamuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis etiam Motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores presentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Aprilis M. DLXI. Pontificatus Nostri Anno Secundo. Igitur ut literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbi- que locorum inuiolabiliter obseruentur Motu proprio, & ex certa sciëntia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum præinsertas literas huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica auctoritate tenore presentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, illasque non solum in prædictis Regnis Hispaniarum, sed in quibusuis Christiani Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipimus, & mandamus. Ac præterea, ne in futurum de poena his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi aliquando dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes tam sæculares, quam quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant, qui personas quæcumque illæ sint, ad inhonestas, siue inter se, siue

cum

cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramen-  
 talis confessionis, siue ante, vel post immediate, seu  
 occasione, vel prætectu confessionis huiusmodi etiam  
 ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem con-  
 fessionis in Confessionario, aut in loco quocumque vbi  
 confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confes-  
 sionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones  
 audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum  
 eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus ha-  
 buerint in Officio Sanctæ Inquisitionis seuerissime, vt in-  
 fra puniatur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis In-  
 quisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum,  
 Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum  
 vniuersi Orbis Christiani in suis quemque Dioecesibus,  
 & Territorijs per has nostras literas etiam priuatim quo  
 ad omnes alios specialiter, ac perpetuo iudices delega-  
 mus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim  
 in omnibus, prout in causis fidei iuxta Sacrorum Ca-  
 nonum formam, necnon Officij Inquisitionis huiusmodi  
 constitutiones, privilegia, consuetudines, & decreta,  
 diligenter inquirent, & procedant, & quos in aliquo ex  
 huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint, in  
 eos pro criminum qualitate, & circumstantijs, suspen-  
 ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, digni-  
 tatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ in-  
 habilitatis ad illa, necnon vocis actiue, & passiuæ, si Re-  
 gulares fuerint, exilij, damnationis ad trêmes, & car-  
 ceres etiam in perpetuum absque vlla spæ gratiæ, aliasque  
 pœnas decernant, eos quoque si pro delicti enormitate  
 grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degra-  
 datione Curie sæculari puniendos tradant. Dantes eti-  
 am facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E.  
 Cardinalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme  
 & Ecclesiæ

& Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ; ob probationum defectum impunitum cum difficilis sit probationis , testibus , etiam singularibus , concurrentibus præsumptionibus , iudicijs , & alijs adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi , & Curia seculari , vt præfertur reum tradendum esse pronunciandi . Non obstant. omnibus , quæ dictus prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare , cæterisque contrarijs quibuscumque . Mandantes omnibus Confessarijs , vt suos poenitentes , quos nouerint fuisse ab alijs , vt supra sollicitatos , moueant de obligatione denunciandi sollicitantes , seu vt præfertur tractantes , Inquisitoribus seu locorum Ordinarijs prædictis , quod si hoc officium prætermiserint , vel præsentibus docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes , seu tractantes , vt supra iisdem locorum Ordinarij , & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant . Volumus autem , vt præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis , & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio , & extra vbique habeatur quæ præsentibus haberetur , si forent exhibitæ , vel ostensæ , quodque eadem præsentibus litteræ , seu illarum exempla ad valuas Basillicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis Apostolorum de Vrbe , & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent , & afficiant , ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent . Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 30. Augusti 1622. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

S. CARD. S. SVSANNÆ.

*MD.*









1200 AH  
LUDWIG ROSENTHAL'S ANTIQUARIAAT

P.O. BOX 343 - (1301) HILVERSUM - (THE NETHERLANDS)

TELEPHONE: 02150 - 4 79 51 POSTGIRO NO. 309771

BANKERS: ALGEMENE BANK NEDERLAND, HILVERSUM acc. no. 55 07 11 805

AMSTERDAMSE CREDIET- EN HANDELSBANK, AMSTERDAM acc. no. 26 61 35 005

Established 1859  
Old and rare books

Monsieur Émile van der Vekene  
Luxembourg.

Rekening - Invoice no. 4700

COPIE

Uw bestelling van - Your order of 20 mars '79 Hilversum, 23 mars 1979

imprimé recommandé	} Fl.	4,50
Porto - Postage		
Verzekering - Insurance	} Fl.	6,-
Banktransferkosten		
(Inquisition) - Constitutio"		100,-
..M30.849..		<u>110,50</u>
	Fl.	110,50
	====	====

Avec n<sup>os</sup> remerciements,

